



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Fidei Professio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

in hoc se intromittere, quia sunt loco sacrificiorum, & onera perpetua, sed si à principio hæres fuerit negligens ad exequendum & solvendum, tunc habet locum Bulla Pii V. & Commissarius potest compellere ad solvendum jam omissum, & de eo sumere medietatem, sed in posterum ut solvatur Sacerdoti celebranti, & hoc nota, licet post lapsum unius anni, Pius IV. Bull. 58. de qua in ver. *Notarij*, & illud erit onus Ordinarii.

#### FAMILIARES, ET SERVITORES PRÆLATORUM.

**F**amiliares, & servitores Prælatorum, salaria pro biennio tantum petere possunt, & infra annum à die mortis obitus illorum, Paul. III. Bull. 43. *que incipit, Cùm sicut*, & Pii V. Bull. 33. *que incipit, Cupientes*.

Familiares Papæ, qui dicantur, vide Bull. Paul. III. *que est 78, & 79*. ubi omnes, qui habent panem à Palatio, dicuntur veri familiares, & Bull. Jul. III. *que est 44, & incipit, Cupientes*, ubi etiam declarat ordinationem servandam in satisfaciendis creditoribus Prælatorum in Romana Curia decedentium.

Familiares Cardinalium qui dicantur, vide Gom. *in regula de impet. benef. per ob. sam. Car.*

Familiares Episcopi an gaudeant privilegio fori, dic, quod sic, & vide *sup. in ver. Episc. §. 23.*

#### FIDEI PROFESSIO.

**B**eneficiatus, qui tenetur facere fidei professionem juxta sacri Concilii dispositionem, *sess. 24. c. 12. ca. 18. sess. 25. c. 2. de reform.* potest illam facere per procuratorem. ita Nav. *conf. 11. nu. 2. de jur. jur.* sed Apostill. ibi dicit aliter censuisse sacram Congr.

#### FUSTIGATIO.

**P**rimò si aliquis Ecclesiasticus condemnatur ad fustigandum, vel ad triremes, & fustigetur, & remiget, an per hoc censeatur irregularis?

Respondetur, quòd si delictum fuit verum, ob quod fuit condemnatus, fustigatus, & remigans, est irregularis in utroque foro, si verò ex falsis testibus, vel vi tormentorum ob delictum, quod non fecerat, fuit condemnatus, est quidem irregularis in foro exteriori; sed verò in interiori: ita consuluit Navar. *consil. 17. de heret. & consil. 7. facit capit. tantis Daniel, & 1. dist. c. omnipotens. de accus.* quia ictus fustium inducunt infamiam, *Lictus fustium. ff. de his qui not. infam. & c. infamib. de reg. jur. lib. 6.* clauduntur januæ dignitatum.

Secundò, an clerici possunt verberari, vel fustigari?

Respondetur, quòd sic, si ita exposcatur suum delictum, *Clar. q. 70. ver. etiam pœna.* sed non multum videtur in usu, licet intra palatium posset hoc fieri. *Hoft. in sum. tit. de cler. percuss. §. in quo, c. & in alio loco melius.*

FESTA.